





zu 42

DECADOS TERTIÆ
CONTRA HETERODOXIAM
CALVINIANAM,

DISPUTATIO SEXTA,
CONTINENS ANTITHESIN

De

NESTORIANIS IDEM
DOCENTIBUS, QVOD
CALVINIANI
DOCENT,

Quam

ADJUVANTE SPIRITU DOMINI
SUB PRÆSIDIO

Viri admodum Rever. Clariss. atq; Excellentiss.

DN. JOHANNIS MICRÆLII,
S. S. TH. EJUSDEMQUE ET PHILOSOPHIÆ D.
CELEBERRIMI, ILLUSTRIS PÆDAGOGII, QVOD STE-
TINI EST, RECTORIS ET PROFESSORIS MERITIS-
SIMI, PRÆCEPTORISQUE SUI OMNIBUS
NOMINIBUS HONORATISSIMI.

Publicè examinandam Studiosæ Juventuti subjicit

AUGUSTINUS HEMPELIUS SVEBUS. SILESIUS.

In

*Illustris Pædagogii Auditorio Majori ANNO ÆR.
CHRISTI MDCC LIII. die 13. Junii horis
consuetis matutinis.*

STETINI,

Typis GEORGII GOETSCHII, Pædag. Reg. Typogr.

DECADES TERCIA
COMITIA PETERODOLIA
CASA...

DISPUTATIO SEPTIMA
CONTINENS ANTIQVAM

NESTORIANIS IDEM
DOCENTIBUS, QVOD
CAPVIVIA
DOCENT.

ADIVANTE SPIRITU DOMINI
ALIB PRASIDIO

DR. JOHANNIS MICHAELI
S. THEOLOGICAE VE ET HISTORICAE D.
C. L. ILLUSTRI PRAESIDI, QVOD SEE
ETIAM PRAESIDI ET PRAESIDI
SUI PRAESIDI VE SUI OMNIBUS
NOMINIBUS HONORATISSIMI.

ANNO DOMINI MDCCLXXV
MENSE APRILII

IN
MUSEO PRAESIDI MICHAELI VE ET HISTORICAE D.
C. L. ILLUSTRI PRAESIDI, QVOD SEE
ETIAM PRAESIDI ET PRAESIDI
SUI PRAESIDI VE SUI OMNIBUS
NOMINIBUS HONORATISSIMI.

STETI
Typo Graphico G. L. ILLUSTRI PRAESIDI, QVOD SEE
ETIAM PRAESIDI ET PRAESIDI
SUI PRAESIDI VE SUI OMNIBUS
NOMINIBUS HONORATISSIMI.

92

DECADOS TERTIÆ
CONTRA HETERODOXIAM
CALVINIANAM,

DISPUTATIO SEXTA,
CONTINENS ANTITHESIN

De

Nestorianis idem docentibus,
quod docent Calviniani.

I.



iximus in superiori disputatione, Cyrillum, falsis calumniis à Nestorio profcisum, & ad silentium jussu imperatoris Theodosii damnatum, tres insignes libros prosphneticos de recta in Dominum nostrum fide edidisse, & concilium simul œcumenicum convocari petiisse. Libros illos inscripsit ipsi imperatori & Eudociæ atq; Pulcheriæ imperatricibus, inq; illis rationem orthodoxias contra criminationes Nestorii explicuit, & episcoporum convocationem impetravit: idq; eo facilius, quia non saltem ipse Nestorius, sed & monachi Constantinopolitani, ab illo pressi, rogarunt imperatorem, ut concilium convocaret.

II. Illud ab eo, augustalibus ad metropolitanos misis, indictum est Ephesi. Cumq; XV. dies à præfinito tempore essent elapsi, etsi nondum Johannes Antiochenus cum suis aderat, præsentibus tamen episcopi Synodum sunt auspicati. Et quia primo congressu Nestorium Cyrillus perstringebat, nec alium esse filium dicebat, qui ex Maria est natus, quam qui à patre ante secula esset natus, surgens ille: *Ego, inquebat, bimestrem aut trimestrem Deum non facile dixerim: proinde purus sum à vestro sanguine: imposterum ad vos non veniam.* Egressus cum VI. episcopis, privatam deinceps Synodum egit, & vel ter vocatus non comparuit: cumq; patres, interq; eos præcipui, Cyrillus & Memnon Ephesus episcopus, congregati, in illum, certis testimonijs hereseos convictum, sententiam dixissent,

A

xissent,

xissent, eumq; abdicassent, ille vicissim in suo conciliabulo, Cyrillum & Memnonem abdicavit.

III. Interim quinto post exautoratum Nestorium die Antiochenus aderat, ægreq; ferens, cum quod se absente Nestorius esset tumultuario processu damnatus, tum quod Cyrilli anathematismi approbati, quos habebat de hæresi suspectos, sententiam tulit adversus Cyrillum & Memnonem, eamq; misit Constantinopolin. Senserunt cum Patriarcha Antiocheno Johanne, XIII. metropolitani & XXIX. episcopi. Econtra Synodus ducentorum amplius episcoporum, cum Johannes ter vocatus non adesset, absoluto Cyrillo & Memnone, eum damnavit. Imperator, evocatis ex utraq; parte nonnullis episcopis Constantinopolin, cum nondum satis esset de toto negotio informatus, post disolutam jam Synodum, deposuit & in custodiam dedit tam Cyrillum & Memnonem, quam Nestorium, Synodiq; acta rescidit: sed facta controversiarum inquisitione rectius edoctus, imperavit Nestorio exilium; Cyrillum autem & Memnonem restituit dignitati, & Antiocheno mandavit, ut Synodo, cujus acta confirmavit, subscriberet, & Nestorio damnato, in gratiam cum Cyrillo rediret: quod etiam factum.

IV. Nec tamen turbæ Nestorianæ sic penitus quieverere, ut superiori disputatione diximus. Nam quamdiu contra Eutychianos, Origenistas & Pelagianos, ut & contra tria capitula Mopsevestani, Cyri & Edeseni episcoporum, diu defunctorum, disputandum erat, controversia contra Nestorium simul erat agitanda, quum illi omnes prius crederent corpus Christi in utero formatum, quam ei postea uniretur λόγος. Sexto imprimis seculo pugnebatur à Scythis nonnullis orthodoxis contra Acœmetas, qui volebant dici Nestoriani, & tamen unum de Trinitate negabant esse passum. Scythæ illi utebantur robusto argumento, quia, si unus de Trinitate non est passus, neq; unus de Trinitate sit natus, nec Maria possit dici θεοτόκος. Recruduit eadem quæstio seculo octavo per Felicem Urgelitanum & Elipandum Hispanos, qui Christum secundum naturam humanam vocabant filium adoptivum, ut alibi dictum.

V. Ex hac:

V. Ex hac historica deductione patet, controversiam inter Nestorium & orthodoxos agitatum concernere principaliter propositiones personales, earūq; verū intellectū: *an nempē dici debeat, quod Maria pepererit Deum; aut, an Deus natus sit ex Maria: adeoq; an ille, qui natus est ex Maria, Deus sit, id est, ut rem in modernis controversiis eloquimur: An homo sit Deus.* Non negabat Nestorius eam hujus propositionis ἀνάλυσιν & resolutionem, quā Beza utitur: scilicet, *Christum, qui vere est homo, esse etiam verum Deum.* Hinc illud Nestorii: *Christum nominamus Deum, qui Deo verbo conjunctus est.* Concedebat etiam, quod sensit Pareus de his propositionibus (*Homo est Deus, & Deus est Homo*) *hominem esse Deum deitate sua, & Deum esse hominem humanitate:* aut, ut alii cum Scholasticis interpretantur: *Deum, qui sustentat humanam naturam, esse Deum.* Si quis Calvinianorum, ut Beza & Danæus, vocasset propositionem verbalem vel tropicam & figuratam, aut, ut vocavit Theodorus Mopsevestanus in collatione Constantinopolitana, abusivam, quando dicitur: *Filius hominis est filius Dei: vel: Homo est Deus:* litem Nestorius non movisset. Si Piscator & Bergius resolvissent propositiones, quasi essent speciei de individuo, hoc modo: *Homo, id est, divina Christi natura, est Deus: & Deus, id est, humana Christi natura, est homo:* aut si Crellius dixisset, propositiones personales esse partis de toto, nēpe alterutrius naturæ de persona, de qua prædicetur natura divina vel humana, ut sensus sit: *Homo, id est, Christus est Deus:* haud contradixisset Nestorius. Ultro enim largiebatur, Christum, quem peperit *χριστόν*, esse Deum in illo habitantem: duas naturas per conjunctionem summam & inconfusam in una persona unigeniti adorari: eundemq; Christum, qui homo est, esse Deum; & qui Deus est, esse hominem: Deum nempē deitate; & hominem humanitate. Quin & expresse scripsit, ferri posse vocabulum *θεότοκος*, sed in eo sensu, ut Maria intelligatur templum Dei, non ipsum Deum peperisse, id est, ut intelligatur, verbalem esse propositionem. Si igitur quæsisset, an Christus sit Deus? an sit homo? an ille, qui, ut loquuntur, sustentat humanam naturam, sit Deus? nullus hæsitans affirmasset. Hoc autem erat, quod in controversiam veniebat, *an, dum Nestorius negabat virginem θεοτόκον seu deiparā, non simul negaverit, hominem per*

mysterium incarnationis vere esse Deum. Hominem verbaliter, tropice, figurate, homonymia appropriationis dici Deum, facile largiebatur: sed Deum immutabilem, infinitum, æternum, Maria antiquiorem, ex utero Mariæ prodiisse, aut, quod idem est, Deum ex Maria natum esse, hoc negabat. Non negabat, natum esse ex Maria Christum, sed Deum ex ea esse natum. Hinc illud: *Eum, qui spaciis menstruis adolevit, Deum non appellavero.*

VI. Hæreticus unionis mysterium orthodoxe non explicabat. Non largiebatur, humanitati Christi, propria subsistentia destitutæ, sic æternam filii Dei subsistentiam per unionem personalem communicatam esse, ut inde non verbaliter, sed vere sine tropo atq; figura, modo tamen inusitato & extraordinario, homo diceretur Deus, & Deus homo factus. Nec largiebatur, humanitatem esse ipsius deitatis seu divinæ naturæ participem. Negabat communicationem, ut ὑποστάσεως, ita quoq; naturarum. Si igitur quis ex illis propositionibus personalibus: *Deus est homo: Homo est Deus: Verbum est Caro: Homo est Dominus de Cælo:* concludere voluit, quemadmodum inde orthodoxe est concludendum, *Deum ex virgine esse natum, & virginem peperisse Deum,* id absurdum putabat, & exclamabat: *Is, qui ante omnia secula natus est, denuo nasci non potest,* ut videre est in *Contest. Cleri. Constant. Tom. 1. act. Conc. æcum. Eph. cap. XIII.* Et qui id dicere conabatur, eum cum Apollinari, adde cum Eutychete, confundere dicebat naturas: quum tamen propter duarum naturarum in unam personam unionem & propter duarum naturarum, salvis earum proprietatibus, communicationem, vere & sine tropo post incarnationem Deus sit homo, & homo Deus; Deus ex virgine natus, & homo non tantum instrumenti loco à Deo assumptus & divinitus afflatus, sed & Dominus de cælo factus.

VII. Propositionibus personalibus everfis, aut per tropum quendam vero sensu privatis, & in naturam verbalium, non realium propositionum redactis, nihil amplius integrum in mysterio de persona Christi relinquebatur: negataq; ὑποστάσεως & naturarum communicatione, negabatur etiam idiomatum & operationum communicatio. Si quis juxta primum communicationis genus, autoritate scripturæ munitus, dicebat: *Deus est passus, sepultus,*
mor-

MORTUUS: Nestorius per Zvvinglianam ἀλλόωσιν pro natura una substituebat alteram, & sic interpretabatur dictum: Deus, id est, humana Christi natura est passa, sepulta, mortua. Quoties Cyrillus urgebat unitatem personæ, & juxta veritatem scripturæ sine tropis intelligendæ, Deum vere esse sua carne passum testabatur, non quidem ex divinæ naturæ proprietate, sed personaliter per & propter unionem personalem, audiebat Apollinarista, qui confunderet naturas, qui humanitatem diceret in naturam deitatis transisse, qui deitatem carni communicaret, qui corporis passionem superfunderet deitati.

VIII. Si ex secundo communicationis genere Cyrillus cum orthodoxis dicebat, filium Dei esse mortuum pro peccatis mundi, & in redemptione generis humani divinam naturam non tantum egisse divina, nec humanam tantum humana, sed ad idem apotelesma utramq; naturam concurrisse, regerebat cum Sturmio: qui simpliciter mori posse negatur, cum neq; pro mundi vita mortuum esse: & quia deitas mori non potest, solam humanitatem Christi esse mortuam, nec λόγον ea, quæ carnis sunt, in se transferre, nec propter dispensationis unionem propriæ naturæ tribuere: sola relatione λόγον decere humana.

IX. Tandem si ex tertio communicationis genere Cyrillus in suis prosphonetis ad Theodosium & alibi docebat, λόγον propriam actionis gloriam propriæ carni largiri, & bona divinæ naturæ cum corpore, quod assumpsit, communicare, & illud in suam gloriam & excellentiæ fastigium evehere, & ob id carni communicatam esse vim vivificandi, jus adorationis & reliqua infinitæ majestatis axiomata, filiumq; ut hominem secundum humanam naturam omnia accepisse, & à nullo eorum exclusum esse, quæ in patris sunt potestate, Nestorius cum Calvinianis carnem agebat nec divinæ naturæ nec majestatis divinæ esse capacem: & sic calumniabatur orthodoxiam Cyrilli, quasi per ipsius assertiones caro in infinitum incircumscriptæ naturæ extenderetur.

X. Quia igitur eadem opponebat Nestorius Cyrillo, quæ hodie Calviniani nobis, eademq; controversiæ, si rem acutius intueamur, in propositionibus personalibus & in tribus communicationis generibus olim agitabantur, quæ hodie: nemo ægre feret,

si idem conamur, quod quondam orthodoxi: adeoq; eorum mentem, qui amicitiam & orthodoxiam, ut quondam Nestorius, simulant, eadem animi praesentia & constantia, qua quondam Cyrillus, denudamus.

XI. Quoties igitur nobis obiicitur, quasi in confessione de infinita maiestate carni Christi communicata, aut unigeniti deitatem perimamus, aut humanitatem deificemus (quod ipsum quoq; objectum est Cyrillo, ut constat ex ejus *Epist. ad Cler. Const. Tom. 1. act. Conc. Eph. cap. X.*) toties respondemus cum Cyrillo ex *1. prosphon. ad Theodos. & altera parenetica ad Nest. quae extant in Tom. 1. actor. conc. Eph. cap. 4. & 12.* Non dicimus, verbi naturam per sui mutationem carnem esse factam, aut in hominem transformatam. Nec dicimus, terrenam carnem in divinam naturam conversam, summaeq; illius substantia subiectum & quasi materia effectam esse: sed nec hoc dicimus, naturarum differentiam, propter unionem (aut maiestatis communicationem) sublatam esse.

XII. Caeterum ipse Nestorius verum statum controversiae inter se & orthodoxos in epistola ad Cyrillum, quae in Synodo Ephesina recitata, & ab omnibus tanquam haeretica explosa est, quaeq; exstat in Tom. 1. act. Con. Eph. cap. XIII. satis aperte formavit, si demas calumnias, quibus, quae Cyrillus in concreto dixerat e. g. *Verbum Dei passum est*, scilicet *carne*, ipse turpi sycophantia per abstractum interpretatus fuerat, quasi docuisset Cyrillus, ipsum verbum in se esse passibile, & ipsam deitatem in se esse natam, passam, mortuam. Verba ipsius dignabimur apponere, etsi haeretica: *Christi corpus, inquit, est divinitatis templum; illudq; nexu usq; adeo sublimi ipsi conjunctum est, ut divina natura ea sibi vindicet, quae corporis alioquin sunt propria. Verum propter eam sive communicationis sive appropriationis notionem, nativitatem, passionem, mortem, ceterasq; carnis proprietates divino verbo adscribere, id demum mentis est, paganorum more vere errantis, aut certe insani Apollinaris & Arii, aliorumq; haeticorum morbo, aut alio etiam graviore, laborantis. Nam qui appropriationis vocabulum ita detorquent, illos Deum verbum incarnationis participem & succedanei incrementi capacem & ob formidinem passionis tempore declaratam angelici praesidii indiguum extitisse, fateri oportet.*

XIII. Unde patet, quaestionem non fuisse primariam, an
due

due sint, ut natura, ita & persona in Christo (quanquam id ex sententia Nestorii consequitur) sed an homo propter unionem duarum naturarum & propter consequentem inde appropriationem & communicationem (hanc enim suo sensu largiebatur Nestorius) sit vere Deus; an tantum Dei templum: aut, ut Cyrillus statum controversiæ format in epistola ad Anastasium apud Biniū p. 769. an Deus ex semine Abrahami hominem sibi adaptarit, & dignitatem gloriæ & filiationis illi communicarit: adeoq; an ex homine factus sit Christus: & annon potius Deus existens verbum factum sit caro, id est, homo. Item an hominis proprietates possint Deo adscribi, ita ut Deus dicatur natus, lactatus, statura auclius, passus, mortuus, puta, an possint illi vere & sine tropo & ἀλλοιώσει adscribi.

XIV. Ubi Cyrillus, ut legere est in eius epistola ad Ægyptios monachos, solam λόγος in homine tanquam in templo inhabitationem non satis esse censet ad explicandum hoc mysterium: nam & patrem inhabitare & Spiritum sanctum Job. XIV, 23. non tamen servili forma indutum: verbum Dei, quod æternam generationem obtinet, nostram quoque generationem propter nos expertum esse: non solum igitur verbum, nec solum hominem, sed Deum & hominem ex Virgine esse ortum: Christum enim non tantum esse hominem deificatum, parem illis, qui per gratiam participes fiunt divinæ naturæ, sed Deum: eundem igitur non esse hominem deiferum (θεοφόρον) aut numine afflatum, instrumenti loco assumptum & usurpatum, sed Deum vere incarnatum: & corpus ex virgine natum propter unionem hypostaticam verum Dei filium esse & verbi æterni proprium, & propterea, qui id, quod ex virgine sumtum est, nihil aliud, quam nudum Dei organum exsistisse contendit, veram filii rationem auferre. Hinc in epistola ad Cler. Constantinopol. sic statum controversiæ formavit: non esse questionem, an verbum Dei impatibile passum sit, sed an corpore patiente & ipsum quoq; passum sit. Quo recte determinato, determinantur reliquæ quoq; quæstiones. An Maria Deum genuerit; aut, an tantum homo sit, qui ex illa natus est: annon hominis proprietates possint de Deo; & vicissim Dei de homine dici, præsertim quia verbum, quatenus caro factum est, in carne talem fere habitationem constituit, qualem in suo corpore hominis anima effice.

efficere consuevit, ut loquitur *Cyrillus & Synodus Alexandrina in epistola ad Nest. de excommunicatione.*

XV. In hac epistola Cyrillus, nomine Synodi, XII. capitibus, cum totidem Anathematismis, quicquid in controversiam vocatum erat, comprehendit: quibus postea Nestorius XII. alios antanathematismos opposuit, qui extant in *Tom. II. act. Conc. Epb. append. 1. cap. V.* sicut anathematismi Cyrilli inveniuntur *Tom. I. act. c. XIV.* Et quia orientalibus episcopis schismaticis sub Johanne Antiocheno aliquandiu Cyrillus, tanquam minus orthodoxe sentiens, suspectus erat, explanationem suorum duodecim capitum Ephesi edidit, quæ extat *Tom. V. act. cap. 1.* Cumq; nihilominus orientales prædicta capita tanquam multis referta hæresibus traducerent, eaq; publico scripto impugnarent, Cyrillus apologeticum librum edidit, quo eorum objectiones ad singula capita ordine recenset & solide refutat, ut legere est in *operibus Cyrilli & in cap. IV. ad Tom. V. act. Con. Epbef.* Tandem cum Theodoretus Cyri Episcopus, vir acerrimi iudicii, causam orientalium pergeret agere, & singula Cyrilli capita, prava interpretatione, in præposterum & hæreticum sensum traheret, librumq; Theodoreti hostilem Evoptius ad Cyrillum mitteret, eundemq;, ut responderet, amice moneret, librum edidit ad Evoptium, & luculenter innocentiam suam à calumniis & reprehensionibus adversarii vindicavit.

XVI. Quia igitur Anathematismi Cyrilli materiam tantarum disputationum fuere, tandem tamen inter symbola & confessiones Ecclesiæ Catholicæ recepti sunt, digni omnino videntur, quorum summam apponamus: ita tamen, ut Antanathematismorum quoq; Nestorii summam è regione locemus, & nonnulla simul ex oppositionibus Orientalium & Theodoreti, una cum responsione Cyrilli, excerpamus. Sic enim, quid quibus rationibus propositum, oppugnatum & defensum fuerit, clarius patebit, nobisq; ansa de modernis controversiis rectius iudicandi porrigetur.

Anathematism. Cyr. I.

Quia Maria Immanuelem, qui verus Deus est, & incarnatum Dei patris Verbum secundum carnem peperit, deipara est.

Antanathemat. Nestorii I.

Quia Maria Immanuelem, qui non est verus Deus, sed nobiscum Deus, inhabitans naturam humanam, cui unitus est, peperit, non est mater Dei Verbi, sed ejus, qui est Immanuel.

Unde

Unde intelligitur, Nestorium ortum Verbi secundum carnem ex virgine inficiari; concedere ortum Immanuelis, id est, non natum esse ex virgine Deum, sed humanam naturam seu hominem, cui unitus est Deus. Hinc in dogmatico, quatern. XVII. ut & Tom. II. act. Conc. Eph. ecum. cap. VIII inquit: Quia filius simul Deus & homo est, ideo dicit S. scriptura: Misit Deus filium suum natum ex muliere. Hoc autem cum audis, mox in nomen, quod utramque naturam denotat & præmittitur, mentis oculos conjicis, natumque ex Maria virgine, filij quidem nomine, appellas; (siquidem Christipara virgo filium Dei genuit) attamen, quia filius Dei duplicis naturæ existit, non Dei filium, sed humanam tantum naturam peperisse cogites, quæ propter filium ADIUNCTUM, filii quoque appellatione afficitur. Cyrillus autem ipsum Verbum dixit incarnatum, citra divinitatis tamen jacturam, & citra essentialis divinæ cum carne commixtionem, confusionem aut concretionem: quia ipsum Dei Verbum factum est homo, nec tamē ab eo, quod erat, mutatum. Orientales & Theodoretus illud: *Verbum caro factum est* exponebant per inhabitationem in carne: & negabant, Verbum Dei in carnem conversum, aut carnaliter & naturaliter (id est, vere) factum esse carnem, quia alioquin etiam naturaliter & vere peccatum & maledictum oporteret esse factum, quum scriptura testetur, Christum esse factum pro nobis peccatum & maledictum: Mariam quidem vocabant Deiparam, sed negabant, eam naturaliter seu vere Deum genuisse, cum genuerit hominem Deo, qui illum finxit, unitum, templum nempe inhabitantis Dei. Cyrillus contra docuit, illum, qui inhabitat carnem, esse verbum incarnatum & hominem factum, non quod carnali & naturali modo illud natum sit, sed quod vere secundum carnem ipse filius Dei, absque conversione & confusione unionis, ex virgine sit caro factus, & in assumptione carnis secundum veritatem ex illa prodierit homo: non genitam esse nudam divinitatem, sed illum, qui ante secula est patris filius, in tempore inconfuse & inconvertibiliter unitum carni, ex Deipara factum esse hominem, unione non secundum habitudinem, sed secundum veritatem facta: nec enim sic factum esse carnem verbum, ut factum est maledictum & peccatum: nec enim secundum veritatem factum esse maledictum, quia ma-

B

ledi-

ledictum abolevit, sed non carnem. Unde patet, Cyrillum non
 definiisse unionem, eam Thoma, Jesuitis & Calvinis, per susten-
 tationem naturæ humanæ in persona filii Dei, aut per *ἡσίστασιν*
 & assistentiam seu inhabitationem, sed illam explicuisse ex illo
 Johannis: *Verbum caro factum est.* Dum enim filius Dei factus est
 filius Mariæ, communicavit carni, propria subsistentia destitutæ,
 suam subsistentiam, ut hinc ipse ex utero virginis dicatur prodis-
 se, & deinde passus, mortuus & sepultus esse. Recte igitur & sine
 tropo jam dicitur: *Filius Maria est filius Dei: Maria peperit Deum: Deus*
pendit in cruce, passus & mortuus est: scilicet per & propter unio-
 nem personalem. Qui igitur hanc propositionem: *Maria peperit*
Deum: hodie sic resolvant: *Maria peperit hominem, qui sustentatur à*
Deo, & in quo Deus inhabitat: seu: *Maria peperit aliquem, qui unitas*
est Deo inhabitanti: seu: *Maria peperit Christum, qui Deus est & ho-*
mo: ipsi cogitent, quam non procul militent à Nestorii castris.
 Piscatoris certe phrasis, qua negavit, *Christum secundum humanam*
naturam per unionem personalem esse filium Dei, tota est Nestoriana.
 Totum etiam hoc est Nestorianum, quod Græbius, Piscator, Alste-
 dius, Wendelinus, Maresius, Massonius, *λόγον* negant realiter hy-
 pothesin suam carni communicasse. Cyrillus id vocat inconjunctam
 conjunctionem *schol. de unig. incarn. cap. XXVII.*

Anathemat. Cyrilli II.

Verbum carni secundum
hypostasis est unitum: unus
tantum una cum sua carne
Christus est, idem Deus simul
& homo.

Antanathematism. Nest. II.

CARO NON EST DIVINÆ
NATURÆ CAPAX: quia nec natura
 divina partialiter est carni unita, nec ca-
 ro in infinitum indcircumscripta natura
 extensa, nec ideo natura Deus & homo.

Ecce quibus rationibus Calviniani majestatem infinitam
 carni esse communicatam in tertio genere communicationis ne-
 gant, iisdem Nestoriani negant naturam divinam esse carni com-
 municatam. Et certe, qui non vult concedere, infinitas Dei virtu-
 tes posse carni communicari, negabit etiam, carnem naturæ divi-
 næ esse capacem, quia alias aut divina natura esset partialiter ac-
 cipienda, ut *λόγος* infinitus partim esset in carne, partim extra
 carnem; aut caro in infinitum extendenda. Viderint hic Calvi-
 niani

niani sua ratiocinia. Nam quia λόγον extra carnem subsistere
 statuunt in terris; in certo autem cœli π̄ eum carni conjunctum
 putant, necessum est, ut aut unionem solvant, id est, eundem &
 Deum & hominem ubiq; esse negent, & quod de orientalibus testa-
 tur Cyrillus in Ep. Apolog. ad Theod. Tom. 1. aet. Conc. Eph. cap. 11.
 ambigant, seductine sint, an secus, quod Christum verum Deum
 esse statuerint, aut Deum in partes fecent. Nos vero cum Cyrillo
 dicimus, eum, qui unus idemq; est ante & post incarnationē filius,
 non averfari, quæ humanæ naturæ sunt propria, id est, et si est ubiq;
 infinitus, ubiq; tamen sic propter œconomiam omnia humana ad-
 misisse, ut nullibi sit extra carnem, licet nullibi secundum divini-
 tatem capiat detrimenta. Nestorii vox hic obstrepebat: *Separo
 naturas, sed unio adorationem. Duorum autoritas communis; di-
 gnitatis unitas.* Et Theodoretus suffragabatur, dum dixit: *Sufficit
 dicere unionem, quæ naturarum proprietates ostendit, & unum edocet
 adorare Christum.* Sed Cyrillus ad absurdum redegit utrumq;, dum
 respondit: *Quod commune est, duobus commune est: & ubi est digni-
 tatis unitas, ibi est saltem externa connexio sine conventu naturarum ad
 unum ὁμοῦ μόνον.* In Christo autem non sunt duo filii; non due subsi-
 stentia; non duo Christi. Sed nec solarum dignitatum unitas est intro-
 ducenda: nec dicendum, quod homo, Deo copulatus, filiationis homonymia
 honoretur, quia secundum subsistentiam unitas est facta, & ipsissima
 verbi ἁγία & ὑπόστασις humanæ nature secundum veritatem unita est
 sine ulla conversione & confusione. Notent hoc, qui hypostaseos
 filii Dei; non autem naturæ ejusdem infinitæ unionem cum carne
 largiuntur, quum tamen unio secundum Athanasium definia-
 tur per assumptionem humanitatis εἰς θεότητα, & non saltem na-
 tura Christi humana, sed & hypostasis ipsius infinita sit.

Anathematism. Cyrill. III.

Post naturarum unionem hypostases
 in Christo non sunt dividende: nec natu-
 ra ea duntaxat distinctione inter se sunt
 neclende, quæ est secundum dignitatem
 vel autoritatem, sed ea potius, quæ est se-
 cundum naturalem unionem, id est Cy-
 rillo, secundum veritatem.

Antanathem. Nest. III.

Unus est secundum unionem
 Christus, ex utraq; substantia,
 tam Dei Verbi, quam hominis
 ab eo suscepti, in una filii conne-
 xione, quæ inconsuse servanda
 est.

B 2

Ecce

915 Ecce Nestorius non negat unum Christum, non unum filium, non duarum naturarum inconfusam unionem: sed si quis eandem utriusq; naturæ subsistentiam talem diceret, ut neutra vel in minimo $\pi\alpha$ post factam unionem subsistere posset absq; altera, adeoq; si negaret, $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\upsilon$ posse ullibi extra carnem subsistere, id absurdum putabat, & in dogmatico quatern. XVII. ut est Tom. II. act. Conc. Epb. cap. VIII. œcum. expresse scripsit, post incarnationem per se seorsim Filii appellatione Verbum non debere appellari, ne DUOS FILIOS VIDEAMUR INTRODUCERE. Dividebat igitur in Christo hypostases seu naturas (pro eodem enim sumserunt hic Cyrillus & Theodoretus hypostasin & naturam,) ut quidem eodem adorarentur naturæ cultu, tanquam unus filius, sed non eadem ubiq; subsistentia per veram unionem & $\omega\sigma\epsilon\chi\acute{\omega}\rho\eta\sigma\iota\upsilon$ conjungerentur. Distingvi posse naturas non negabat Cyrillus, cum Theodoretus eam phrasin carpebat, quæ unio vocabatur naturalis: sed hæreticum esse dicebat, si quis divisas à se invicem & sejunctas naturas, & seorsim ac peculiariter utramq; poneret. Quod ipsum annon faciant, qui $\omega\sigma\epsilon\chi\acute{\omega}\rho\eta\sigma\iota\upsilon$ seu immeationem mutuam naturarum negant, & divinitatem, imo $\acute{\upsilon}\pi\acute{\epsilon}\sigma\tau\omega\sigma\iota\upsilon$ $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\upsilon$, extra carnem alicubi subsistere posse ajunt, ipsi viderint. Indisolubilem certe personæ, quæ in duabus naturis semper est eadem, id est, incarnata, unionem solvunt, & impartibilem partiuntur. Noxent hunc Anathematismum Cyrilli, qui communicationem naturarum in Christo cum Paræo vocant verbalem honoris communicationem. Cyrillus certe hæresin vocat, si homo, Deo unitus, dicatur Deus per habitudinem secundum solam dignitatem vel secundum FILIATIONIS ÆQUALEM NOMINATIONEM. Et quid aliud dicunt hodie, qui inhabitationem $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\upsilon$ in assumpta humanitate & in sanctis saltem gradu differre censent, & cum Sadeele hominem actu primo Deum esse, adeoq; actu primo subsistentiam divinam habere negant; actum etiam personalem humanæ naturæ derogant?

Anathematism. Cyrilli IV.

Es voces, quæ in sacra Scriptura de Christo occurrunt, non sunt duabus hypostasibus sic attribuenda, ut aliæ homini, tanquam à Dei verbo sejuncto (vel

Antanathem. Nest. IV.

Voces de Christo, qui est ex utraq; scriptæ, non sunt accipiendæ, tanquam de una natura: nec Verbo Dei sunt passio- seorsim

seorsim consideratio) alia tanquam divi- nes attribuenda, tam secun-
nes majestati convenientes, soli verbo ac- dum deitatem, quam secun-
commodentur. *etiam sibi subsistentibus* dum humanitatem.

Hoc quartum capitulum concernit communicationem idio-
matum. Nam quia divinitas filii sua idiomatica intra suam
hypostasin retinet, naturam humanam, quam assumpsit in
communicationem hypostaseos, etiam evehit in communi-
cationem idiomatum suae illius hypostaseos. Hoc est, quod
dixit Cyrillus in declaratione: *Omnia, quae sunt hominis, suscepit: ni-
hil eorum, quae sunt Dei, amisit. Unum igitur eidemque personae filii hu-
mana vere tribuimus propter illius cum carne dispensationem; divina
propter ejus ex patre generationem.* Objecere quidem Orientales,
*humilia humanitatis non esse in naturam divinitatis referenda, & in
unum quidem filium, sed non in unam naturam omnia contrahenda: id
est, alia esse attribuenda Christo Deo & non homini, ut imperare mari;
alia Christo homini & non Deo, ut dormire in cervicali.* Hoc autem
Cyrillus vocat *vocum evangelicarum de Christo inter duas personas divi-
sionem*: & respondet, adversariorum oppositionibus stabiliri
suum anathematismum, quo non permittitur, unum Dominum
nostrum in duas personas vel substantias dividi, nec duabus per-
sonis voces scripturae adaptari: omnes enim praedicationes uni
Christo competere, sed non una ratione. Cumque Theodoretus
regeret: *quae sunt Deum decentia, aptanda esse λόγῳ; quae humi-
liter dicta ac facta sunt, formae servi*: Cyrillus respondet: *quia idem
Deus simul est & homo, recte de illo dici sermones, siue Deo digni sint,
siue humani: duos enim fore filios, si alius sit omniscius, & alius dimen-
sam habeat scientiam: novisse divine λόγον omnia, cum dispensative
mensuram ignorantis humanitatis assumpsit: & illum, qui est immuta-
bilis, appropriasse sibi humana: eos vero, qui revelationem datam esse
dicunt formae servi ab inhabitante Deo, & quidem MENSURATAM,
facere Immanuelem nobis prophetam & Deiserum hominem, atque aliud
nihil.* Notet hoc Zvvinglius cum asseclis, quoties per suam
ἀλλοίωσιν in vocibus scripturae, quibus propria naturarum dicun-
tur de uno eodemque Dei filio, & quibus dicitur: *Filius hominis est
in caelo: Deus est passus*: pro filio hominis substituit naturam di-
vinam; pro Deo humanam. Notet idem Beza, qui nihil vere di-

ei de humanitate posse censet, nisi quod vel ipsa est essentialiter, vel quod accidentaliter & subjective illi inest. Notet Pareus, qui & divinam essentiam & omnia essentialia idiomata λόγος negat esse κοινωνητά ulli creaturæ.

Anathematism. Cyrilli V.

Non est dicendum, Christum tantum esse hominem deiferum seu numine afflatum, & non verum Deum. Est enim unus naturalis filius, & Verbum caro factum, perinde ut nos carni & sanguini communicamus.

Antanath Nest V.

Post assumptionem hominis non est unus naturaliter, id est, realiter Dei filius, cum sit Immanuel.

Nestorius, cum in concreto Christum vel Immanuelem nominabat, eum secundum deitatem censebat esse filium Dei; secundum humanitatem filium hominis deiferum, in quo λόγος inhabitet, sicut in sanctis, nisi quod in illum hominem assumptum dona numero plura & gradibus majora contulerit. Sed Cyrillo unus Christus est unus filius. Hunc ipsum enim filium, qui per æternam generationem Deus est, vere ait factum esse filium hominis: & in filio hominis non tantum inhabitare λόγος, quia alias merus esset homo, nec vere dici posset, quod homo sit Deus, aut quod Deus sit homo. Obiciebat quidem Theodoretus, λόγος non esse carnem factum conversione, nec differentiam naturarum tollendam. Sed Cyrillus non dicebat, verbum Dei conversum esse in carnis naturam, nec tollebat differentiam naturarum: interim, quia λόγος caro, vel Deus homo factus est, dixit, hominem hunc non tantum donatum esse mensura prophetica, non deiferum esse, qui sit ex sorte communi illorum hominum, in quibus tanquam in templo habitat Deus: aliud enim esse: λόγος caro factus est: & aliud: Deus habitat in homine. Et quamquam Christus templum vocavit corpus suum, non tamen propter habitudinem inhabitationem esse, sed unum secundum unionem intelligi Christum & filium. Notent hoc, qui, dum propositiones personales cum Danæo vocant verbales, & dum homo vel filius hominis dicitur esse Deus vel Dei filius, Christum secundum humanam naturam negant esse filium Dei. Dum enim filium Mariæ non vere, sed tantum verbaliter esse dicunt filium Dei, duos constituunt filios: negant filium Dei, perinde ut nos,

com-

communicasse carni & sanguini: alium esse filium Mariæ dicunt; alium, qui in illo tanquam in templo habitat: filium igitur Dei esse secundum deitatem; hominis secundum humanitatem: inter duas naturas in Christo nullam esse posse communicationem. Si audiat hæc Nestorius, applaudet.

Anathem. Cyrill. VI.

Verbum non est Christi Deus vel Dominus. Post Verbum incarnatum unus idemq; est Deus simul & homo.

Antanathematis. Nestorii. VI.

Post incarnationem λόγος non est alter quispiam præter Christum nominandus. Servi forma initium habet; est à λόγῳ creata: λόγος est hujus templi sui Dominus, creator & Deus.

Domīnus noster Jesus Christus, ut *Cyrillus* mentem declaravit, unus & solus secundum veritatem filius Dei est: sed sui ipsius nec Deus nec Dominus est. Si enim λόγος est Deus Christi, duo erunt. Non autem duo sunt, quia ipse idem simul est & Deus & homo: unus Christus ex duabus naturis secundum dispensationis unitatem. *Nestorius* autem Christum dicebat esse hominem & hominis Dominum. Et si homo dicatur Deus, aut servus Dominus, propterea id dici putabat, quia servo unitus esset Dominus & in illo habitaret. Nestorio consentiunt, qui hodie negant communicationem naturarum in Christo, cumq; *Herbornensibus* reprehendunt, si quis λόγον incarnatum realiter dicit habere carnem & sanguinem, & verbalem tantum honoris communicationem relinquunt.

Anathematis. Cyr. VII.

Jesus non tantum est homo vi λόγῳ actus: nec illustris illa unigeniti gloria velut alteri cuiquam à λόγῳ advenit, id est, ut Cyrillus explicat in libro apologetico: Non est dicendum, Jesum tanquam hominem accepisse à λόγῳ vim operandi, & gloria unigeniti esse circumdandum, tanquam alter ab ipso sit.

Antanathem. Nest. VII.

Homo, qui in virgine creatus est, non est unigenitus ante luciferum natus, etsi propter unitionem cum eo, qui naturaliter est unigenitus patris ingeniti, appellatione est particeps ejus factus: Interim non alter quispiam præter Immanuel dicendus.

Anathe-

Anathemat. Cyrill. VIII.

Homo assumptus una cum ipso Dei verbo non tanquam alter cum altero adorandus & Deus appellandus: sed una adoratione Immanuel est adorandus, quatenus verbum caro factum est.

Anathemat. Cyrill. IX.

Christus non est à Spiritu Sancto tanquam virtute à sua aliena glorificatus, aut vi miraculorum donatus, sed spiritus, per quem divina signa edebat, est illius proprius & naturalis.

Anthematism Cyrill. X.

Cum Christus Epb. V. 2. dicitur pontifex & apostolus noster factus, non alter quispiam à λόγῳ diversus, homo nempe merus ex muliere natus sed ipse λόγῳ, postquam caro factus est, pontifex & apostolus noster dicitur factus: nec Christus, qui nulla indigebat pro suis peccatis, quæ non noverat, oblatione pro

Anathemat. Cyrilli XI.

Caro Domini est vivifica, eo, quod est propria ipsius λόγῳ, qui omnia vivificare potest; non alterius cuiuspiam, ipsi Verbo secundum dignitatem tantum conjuncti, aut divinam tantum inhabitationem sortiti.

Anathemat. Cyrill. XII.

λόγῳ carne vel secundum carnem passus, crucifixus, mortuus est: factusque primogenitus ex mortuis, quatenus ut Deus, vita est & vivificans.

Antanathemat. Nest. VIII.

Servi forma non est pro seipsa seu secundum proprie natura rationem colenda & omnium domina. Per societatem, quæ beatæ & ex se naturali domini unigeniti natura conjuncta est, veneranda est.

Antanatem. Nest. IX.

Forma servi non est consubstantialis Spiritui Sancto, sed per eius mediationem ex ipsa conceptione habuit conjunctionem cum λόγῳ, cuius est potestas mirandorum exercendorum.

Antanathem. Nest. X.

Non λόγῳ, sed Immanuel est pontifex & apostolus noster factus, & pro nobis se obtulit. Immanuelis est, esse apostolum. Oblatio, secundum eandem rationem est dividenda, ut deputentur Deo, quæ sunt Dei, & homini, quæ sunt hominis.

sed pro nobis sacrificium obtulit.

Antanathem. Nest. XI.

Unita caro ex natura propria possibilitate non est vivificatrix. λόγῳ non est carnaliter, id est, vere secundum substantiam caro facta.

Antanathem. Nest. XII.

Passiones carnis non sunt tribuende λόγῳ. Discernenda est dignitas naturarum.

SOLI DEO GLORIA.

20
42

Nestorium quare Patres damnasse leguntur?
Divisit Christum. Sontica causa satis!
Hempeli, quare tu Bezae dogmata damnas?
Namq; à carne, inquis, disgregat ille λόγον.
Sic est. Si λόγος hic mundum sine carne gubernat,
Atq; illam soli jus sit adesse polo,
Vicit Nestorius. Sed tu, ne vincat, ades dum,
Et te pro Domini nomine siste virum.

PRÆSES.

Proles Calvini quasivir blandula fratres:
Nonne est germanus Nestoriana cohors?
Nos etenim genuit deformes matris ad instar
Error, CHRISTUM hominem qui negat esse DEUM.
Sic utriusq; sonat de CHRISTO dogma nefandum.
Una quidem mens est, dissona lingua tamen.
Ille piè loquitur; sed subsunt impia sensa:
Hic malè quod credit lucida verba notant.
Error ut hos idem parit & conjungit utrosq;
Sic sunt Germani; nec tamen esse volunt.
Quos fratres falsos cautè dignoscere refert.
Hinc opus HEMPELII fertile laudis erit.

Ornatissimo Dno. RESPOND. amorem
suum sic deeli.

JOHANNES RABEL.

HEMPELI, petis ipse fortis hostem,
Quem, quo supprimerent, viri verendi.
Nisi sunt toties, & ipsa clara
Doctum lumina. Tuq; posse eundem
Te speras superare? Torvus hostis
Trux ac sævus adest, cruentus idem.
Perplexus, sinuosus, implicatis
Nixus nexibus, ipse queis inescet.
Incautosq; rudesq;. Cautus ergo
Hempeli, gradiare, tumq; technas
Hostis cur vereare mœstus haud est.
Istas discuties probè retundes.

Fugnans

Pugnans, Præsidi sed Juvante Claro.
Tu sic perge; places, ducem ipse tyro
Invadens. Jugulabis atq; sternes
Ipsum, crede cadent, & arma ponent
Quotqvot castra viri sequuntur atri
Pugnaces, resonabis ac triumphum.

MICHAEL BAGEMIHNUS, Stet. Pom.

Flumen ut ingenti disrupta nube boatu
Obvia quæque patit: Sic mens virtute coruscans
Undiq; dimittit radios, nec serpit in antris;
Firma sed immenso perfringit claustra fragore,
Obstantesq; sibi turmas dijectat ubiq;
Quod probat exemplo juvenis pietate refertus,
Et virtute nitens, dulci dum rore rigatus
Castalii fontis cathedram conscendit & ornat,
Hereticumq; minas, summâ cum laude repellit.
Plaudit Apollo tibi, Musarum turba novena
En tibi læta parat tua tempora cingere lauro.

Johannes Sigismundus Pirscherus,
Freyst Silesius.

Seu Dea, feu Voxes, virides age, mitte recessus,
Seu mavis dici candida Nais? (Echo) ais?
Palladis ad templum studio, dic, curritur? (ε) itur.
An satis est tenebris scripta latere? (ε) tere.
Imò teram, dum vita. Sed indene prospera? (ε) spera.
Prosper & est, famam qui sibi quaerit? (ε) erit.
Cuspis an Hæreticos HEMPELI tangit? (ε) & angit.
Doctor erit cursu sospite verus? (ε) Herus.

JOHANNES HENTSCHELIUS, Sed Pom.

Navita, pastor, eques, miles, studiosus habento
Vela, gregem, phaleras, arma decora, librum.
Tu Clarios sequeris fontes, tibi terna sororum
Triga Heliconiadum necdare corda fovet.
Maeste igitur virtute sacra: sic itur ad astra;
Sic lauri tandem tempora cingit bonos.

CHRISTIANUS KNORRIUS, Raudensis Sil.



